BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
Österreich, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 113r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26134
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Non gloriatur in meritis. nec inter laudes suas humilitatis obliuiscitur. quam
et humiliter confitetur sub nardi nomine. de si uoce uirginis MARIE
dicat. Nullius meriti mihi conscia sum ad tantam dignationem. nisi quod respexit
deus humilitatem ancille sue. Nam quid est aliud nardus mea dedit
odorem suum. quam placuit mea humilitas. Non mea inquit sapientia.
non mea nobilitas. non mea pulchritudo que nulla mihi erant sed que sola
inerant humilitas dedit odorem suum. id est solitum. Solito placet deo
humilitas. Solito plane atque excessueto excelsus dominus humilia respicit.
et ideo cum esset rex in accubitu suo. i. in excelso habitaculo suo. il
luc quoque humilitatis odor ascendit. In altis habitat inquit et
humilia respicit in celo et in terra. Ergo cum esset rex in accubitu suo
nardus sponse dedit odorem suum. Accubitus regis sinus est patris. quod semper
in patre filius. Nec dubites regem hic esse clementem. cui perennis accubitus
est patrine benignitatis diuersorium. Merito clamor humilium ascendit
ad eum. cui fons pietatis est mansio. cui familiaris suauitas cui con
substantialis bonitas est. cui ideo totum quod est de patre est. ut nil prorsus in
regia maiestate nisi paternum. humilium trepidatio suspicetur. Denique propter
miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam dicit dominus. Horum igitur conscia
sponsa utpote domestica atque karissima. non se putat artandam sponsi
gratia penuria meritorum. sola de humilitate presumens. Regem denique
nominat. nam sponsum interim territa increpatione non audet. et in alto
habitare fatetur. nec sic tamen diffidit humilitas. Primitiue ecclesie po
tes hic congruentissime aptare sermonem. si recordaris illos dies quibus
assumpto domino ubi erat prius et sedente in dextera patris. illo suo an
tiquo nobili atque gloriosso accubitu. discipuli erant congregati in lo
co uno. perseuerantes unanimiter in oratione cum mulieribus et MARIA
matre ihesu et fratribus eius. Nonne tibi uidetur reuera tunc temporis nardum par
uule et trepidantis sponse dare odorem suum. Denique cum factus est
repente de celo sonus tanquam aduenientis spiritus uehementis. et repleuit
totam domum ubi erant sedentes. an non merito paupercula tunc dicere potuit
cum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Patuit
pro certo omnibus in loco manentibus. quam gratus humilitatis et quam be